



11

sur 10

El 3887

TAVBMANI

Amores.

77



Ad Lectorem.

**Q**VISQVIS es, Ecce meos Taubmani  
LECTOR Amores.

Vix poteris primà fronte putare meos.  
Docti verba legent; Et tantum verba. me-  
dullam

Qui sapiet rerum, SOLVS AMA-  
TOR erit.

V. Magnifico,

SAMVELI MOSBACHIO, IURISC.  
Celsiss. Principis

FRIDERICI GVLIELMI  
*Septemviratus Sax. Administ.*

CANCELLARIO.  
S. D.



QUOD tantis hucusque suspiriis anhe-  
lavi; quod tam pertinaci votorum  
crebritate flagitavi; quod ipse deniq;  
Cal. nuper Ianuariis evenire mihi in-  
ternuntiis optasti litteris, obrigisse  
scias hesterno die, qui Pauli Conuer-  
sione nobilitatur in Ecclesiâ. Magnifi-  
ce MOSBACHI, si in ullo unquam, certè in hoc  
negotio expertus sum, quàm carum me Deus noster  
habeat. Sponsam ipsum rogavi, quæ sit & pia & ho-  
nesta & morata. ad tergeminum hoc votum quarti a-  
licuius accessionem petere erubui. Sed vide, obsecro,  
qualem sese misericors ille Christus in me gesserit!  
Selegit mihi ex hâc Witebergâ Puellam non solùm  
qualem rogavi; sed & qualem non ausus fui rogare.  
Quæ princeps mihi virtus, Pia est, tum Honesta &  
Morata: præterea adolescentula ætatis integræ 17.  
annorum, staturæ erectioris & pro modo sexûs sui  
grandiusculæ, gracilitatis non illius junceæ sed habi-  
tioris

tioris paulò , incessus collecti , ornatùs neglecti nec  
tamen dissoluti, formæ liberalis ; vultùque præter cæ-  
teras adeò modesto concinnoque, ut nihil supra : sin-  
gularis pudicitie , hilaris verecundie ; prudæ atque  
cordatæ simplicitatis : secundo rumore apud omnes  
gratiosa ; labori & rectioni familiæ adsueta : viduæ  
sanctissimæ vnigena : & si quid ad laudem momenti  
habet, dotis non etiam nullæ. Ad summam, Deus Pa-  
ellam mihi selegit , qualem sperare facilius quàm in-  
venire est. Neque existimes velim, me hæc aut ama-  
toris adfectû , aut Poëtarum licentiâ commentari.  
Eam quidem amo, sed cum modo : Poëtor , sed fors-  
tassis alibi : hîc præter rem & fidem nihil audisti. So-  
pirator noster Christus Iesus , qui fundus & subscri-  
ptor coniugii, & qui me operâ Primorum huius Aca-  
demie solenniter heri cum illâ copulavit, faxit , ut ju-  
ventuti nupturienti nunc simus exemplo juvenes, olim  
maritis ornamento senes. Vale , Magnifice M O S  
B A C H I, ac meos A M O R E S amore tuo ne dedi-  
gnare. C U P I D I N E S P O E T I C I propediem,  
si vacat, subsequenter. Dabantur postridie Spon-  
saliorem

*FRIDERICI TAVBMANI,*

*Poëta Coronati,*

ET

*ELISABETHÆ MATTHÆI,*

*Civis Leucoreæ.*

*AD*

AD AMATOREM CHRISTIANUM.

**S**I quid amas, quod amare licet, properasq,  
potiri:

Magnanimè Dominum speq; fideq; roga.

Si non, ut velles, te protinus audiet; instat:

Ac repara simili vota secunda modo.

Quòd si nec primùm neq; vult audire secūdum:

Tertia fac, immò quarta vigore pari.

Audiet hæc certè: pignusq; sequetur amatum.

Si lubet exemplo discere, discite meo.

---

AD CHRISTUM IESUM.

**Q**uantus amor patris in subolem, nondum  
astimo; necdum

Quanta maritati flamma sit ista tori.

Et tu, CHRISTE, mihi tamen hæc in imagi-  
nis umbrâ

In me grande tui pingis amoris opus.

Mi JESU, mi Christe, mei pars sanguinis; ut

Erudias, quantus sis in amore mei: (me

Da mihi da, quâcum sociali fœdere discam,

Quantus amor subolis, quantaq; flamma

tori. A 3 AD

AD CHRISTUM.

**C**HRISTE, amo. nec, quid amem, scio.  
CHRISTE fac, obsecro, notum,  
Cujus amore mei cordis alatur amor.

Nilest, quod m' alim, quam tela reciproca noti  
Cordis in affectum cor penetrare meum!  
Mirum est, unde mei (mirum est!) orientur  
amores!

Non oculi non sunt hoc in amore duces.  
Si vidissem aliquam, possem meminisse. sed  
umbra est, (mibi est.

Umbra est, quam vidi: immo nec umbra  
Et tamen intus amo. fac Christe fac, obsecro,  
notum,  
Cujus amore mei cordis alatur amor.

---

SPIRITUI SANCTO.

**V**ulgus amatorum, miror quid ametis! Ad unum  
Omnes nescitis, Unde sit, & Quid  
AMOR.

Unus ego veri praeceptor amoris habebor:  
Inquinat ardores nulla libido meos. (bar,  
Quum nondum ardebam, quum liber amore vaga-  
Polluit affectus saepe cupido meos.

Nunc



Nunc res verterunt. Vbi plurimus uror ab igni,  
In me flamma nothas non alit ulla faces.  
SPIRITVS alme, tui est hoc muneris omne,  
quod in me  
Purus amor. Mens hic ò mihi duret amor!

---

AD CHRISTUM.

CHRISTE, tui quoties accedo sacraria tēpli,  
Ut tibi divino pectore vota litem:  
Pro foribus pudibūda mihi venit obuia virgo  
Non minus in votis relligiosa suis.  
Me visorubet illa; mihi cor subsilit: illam  
Non novi: quā sim nescit & illa domo.  
Seu merear, seu non merear, mi CHRISTE;  
fac hac sit,  
Aut hujus similis, si qua futura mea est.

---

AD CHRISTUM.

R Arò solet pietas sed amica pecunia quari.  
Ambitur cupido si qua puella proco:  
Non ego divitias inbio pietate carenteis,  
CHRISTE tui pietas divitiq; Patris.  
Una mihi pietas, nec dos in amore petita est:  
Si mea virgo pia est, sat mihi dotis habet.

AD

AD CHRISTUM MEUM,

Uror : *Et exsuccis arent praecordia fibris ,  
Ob desiderii flammea vota mei. (res  
Quicquid agit, festinat in omnibus omnia ; nec  
Iudice metitur tempore, quisquis amat.  
Fulmē amatori quadrilittera syllaba Cras est :  
Quicquid amat, jamjam vult sibi, quis-  
quis amat.  
CHRISTE, mei placidè voti moderare calores :  
Quem mihi cunq; diem ponis, habebo ratū.*

---

AD SPIRITUM SANCTUM.

*Spiritus Eurorum vireis amittit Et iram,  
Nī densa occurrat robore silva pari.  
At meus è cordis latebrā qui portat amorem  
Spiritus admissio flamine liber abit :  
Nec tamē in vacuo portatum effundit amorē,  
Sed cumulatam aliquo semper amore refert.  
SPIRANS Aura Dei, Deus ipse, fac unus in  
Concordantis amor spiret amore tori. (uno*

---

AD B. TRINITATEM.

*Una meis oculis hodie signata puella est,  
Connu'io vellem quā mihi posse dari. Sed*

*Sed quis amoris erit mihi conciliator ad illam?*

*Ipse peregrinis advena dego locis.*

*Nec fas, consilium prius explorare parentum:*

*Nec consanguinei nominis ullus adest.*

*Nec scio, quò valeat, patrios excurrere montes,*

*Ac sumptum & longa dura vorare via.*

*Sancta ò Simplicitas, clamat, qui venerit illuc:*

*Nec, quid sim, norunt: consilioq; carent.*

*Vos ego vos, sacrosancta Trias, compello: parentes*

*Estes mei, & visam conciliate mihi.*

*Quæ tam dura socrus, tantos quæ ferre repulsam*

*Conciliatores hoc in amore sinat?*

---

AD DEUM.

**A**rdor amoris adest nisi mutuus, Ecquis amari,

*Ecquis, si me unum tollis, amare potest?*

*Ipse amo: nec red amor tamen ulli, credere fasso*

*Nemo volet: sed me credere cogit amor.*

**CARE** Deus, secerne mihi, quæ reddat amorem,

*Durus amor, cui non redditur alter amor.*

---

AD CHRISTUM.

**S**VM, fateor, semperque fui de paupere turbâ:

*Verùm Teutonico non male-notus agro.*

B

Qui

Qui ditat, Deus est: Deus est, qui pauperat. idem  
Et mihi particulam, quum volet, addet opum.  
Sed quid opum mihi, CHRISTE, rogem nunc rectius  
addi?

Conjugium? hoc ipsum est, hoc, precor, adde jugum.  
Conjuge morata potiores, credo, vel ipsum  
Divitias homini vix dare posse Deum!

---

AD CHRISTUM.

**F**ama susurravit, me fuscam ardere puellam.  
Id quaedam falso verberat ore Lupa.  
Ignosco, patiorque, libens, mi CHRISTE, quis, o quis  
Clauderet oppositis omnia labra seris?  
Sed scio, plus candoris habet (quaecunque sit) in se  
Est a puella, licet fusca sit usque foris:  
Quam Lupa, cui facies haec fusca notatur, in omni  
Quaque intus nota est corpore quaque foris.

---

AD IESUM.

**Q**uod genitor sutor, quod sartor vitricus olim  
Audijt in nullare quod uterque fuit:  
Quod vili eductus sum pagi in cespite, qualis  
Transalbina ferè, Leucori, Brata tua est:

Indè

Indè, quòd altrices miserentis ad ostia buccas  
Quasi vi tremulo vocis agone puer:  
Spargit id in totam secretò Marculus urbem:  
Reddat ut invisum meque procosque meos:  
ÆSV tignarij quondam pauperrime filij,  
Rex hodie regum dives, An ista probas?  
Sed, precor, ignoscas homini. Quod is exprobat, ejus  
Scis tu me nullà suppuduisse die.

---

AD SPIRITUM SANCTUM.

Non amo, sicut amant, quibus est in amore volu-  
Sorde Cupidinei commaculata luti. (ptas  
Castus amor meus est: meus est sine labe eupido.  
Verus amor celi non gerit arma Cypri.  
SPIRITVS aterni castissima flamma fœbona,  
Hoc amet adfectu me mea, si qua mea est.

---

AD CHRISTUM.

Qualis in elisa Bethanide Lazarus olim  
Fœtuit impura quatrividuanus humo:  
Talis, ad hunc Albim dum vivo, quattuor annos  
Putuit illicito cor mihi saepe sicu.  
Nam cur, qui fuerim, te celè, CHRISTE? quis ullus  
Vitet in adspectu tela Satanis Homo?

B 2

Quan-

Quamquam nullo unquam pollutum corpus amore  
est:

Servari intacta virginitatis opes,  
Conspargas, ò CHRISTE, tuo me sanguine! mentē  
Unica gutta meam vivificare potest.  
Dicque, Foràs Taubmane foràs morientis ab urnā  
Corporis, atque tuo concipe digna Deo.  
Utque foràs prodire queam; neq; rursus ad istas  
Humane tenebras lubricitatis agar:  
Legitimum thalami tumulum mihi, CHRISTE,  
procura,  
Quo possim affectus contumulare meos.

---

AD S. TRIADEM.

**T**reis me latrato voluistis pane per annos  
Ventris inhumanam mitigare famem.  
Primum annum primi pensastis honore Magistri:  
Caesaria Lauri ferta secundus habet:  
Tertius optata sicor mihi virginis addit:  
Quae tria pro tribus his des potiora, TRIAS?

---

AD DEVM PATREM.

**V**Rbis ad hoc trivium multos ea cura fatigat:  
Hac quamvis curā non nimis esset opus:

Quae

Qua tandem virgo possit Taubmana vocari  
Nominis emerit à traditione mei.  
Hanc iste, hic illam secum mihi destinat: ac si  
Res foret arbitrij solius ista mei.  
Tu mihi dive Pater, tu sis paranympus & auspex  
Et monstra, thalamo commoda si qua meo est.  
Judicium festinus amor prastringit: & ex se  
Cecus, agit cæco cor juvenile freto.  
Tu sortem moresque meos scis, vne: maritam  
Qua sortem & mores hos ferat, vne dabis.

---

AD PUELLAM quasi-MEAM.

**N**E tibi pallori sit, qua meacunque puella es,  
Quòd facies nigro tincta colore mihi.  
Cor Deus, ipsa jecur, cerebrum mihi Phæbus adurit.  
Sævit in hoc uno corpore flamma triplex.  
Et mirer faciem nigrescere? miror id unum,  
Quòd non in cineres totus & omnis eam.

---

AD PUELLAM IGNOTAM,

quasi-noram.

**Q**uartæ glycyrrhiferis Francium parasanga Pa-  
bergis  
Dulciana talis distinet arva soli.

A 3

Felix

Felix ingenium telluris & aeris illic:  
Credibile est, hominem participare loci.  
Atqui etiam Musis & Phœbo dicor amari:  
Livet & haud ullis saucia fama nectis.  
Corpus nec senio neque pubere frangitur ævo:  
Florida maturo stat mihi vita gradu.  
Quin tua victuris possum dare nomina chartis,  
Ut decus à serà posteritate feras.  
Et quod præcipuum est, amo Christum impensius: &  
quod  
Præcipuo plus est: Me quoq; Christus amat.  
Quæso, Puella, tuum nonne hæc mereantur amorẽ?  
Quod si vilescant singula, multa juvent.

---

AD IESUM MEUM.

Suspiro. nam quid, nisi suspirare relictum est?  
Suspiro, & trepidam mœstus anhelos animam:  
In lacrimas etiam cerebri vis liquet, & udo  
Lumine prægnanteis ejaculatur aquas.  
Per nebula fumum me forte Salacio quidam  
Audiit ad socios deproperare toros.  
Hinc livente meum linguam suggillat amorem:  
Consilio nimis hæc præcoce vota petis:

Meq;



*Meq; Professorum vix dum meruisse cathedram:*

*Et qua præterea fingere carptor habet.*

*Jesu, qui mentis scrutaris acumen, Et imos*

*In sinu oculum cordis ad usq; sinus:*

*Tu scis, indomito me non pruriginis aestu*

*Ad curas animi nupturientis agi.*

*Res una est, una est res, qua persuadet: Et unâ*

*A me uno fidei res patefacta tua est.*

*Nec tibi res nihili visa est ea, quippe benignâ*

*Ominis occulti sepe probata fide.*

*MITTE, Cor, Et lacrimas Et flamina suspiratûs.*

*Mentis operta Deo vota probasse, sat est.*

---

*AD SAM. MOSBACHIUM,*

*Cancel. Torgæ.*

**B** *Ryllis ait: passum me virginis esse repulsam,*

*Et spem pertuso CORBE tulisse domum.*

*Si quid inaudisti, MOSBACHI: credita nugas.*

*Nulla meis unquam virgo petita prociis.*

*Nec mihi lecturo sociam metuenda ruina est.*

*Qui jacet in plano, non habet, unde cadat.*

*Aus*

*Aut me patricias censes ambire Dianae  
Quas fastosarum spiritus inflat opum?  
Nequaquam. Tanquil mea ne sit famina. nubat  
Flla mihi: domina non ego nubo mea.*

**WITTEBERGÆ,**

**Typis Wolfgangi Meissneri,**

**Anno**

**M. D. XCVI.**

**B**yllis ait: passim me virginis esse vestigia  
Et sperem pariter CORBÆ tulle domum.  
Si quid invidis: MOSBACH: credio: nugas.  
Nulla mea: nupam ergo petis: proci.  
Nec mihi lecturo locum metendo: vixit est.  
Qui facit in plano, non habet, unde cadat.

A 2490

ULB Halle  
003 485 986


3




sb

kom








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TAVBMANI

Amores.

E1 3887

11

